

AD BENEDICTIONEM TUAM. — Benedictio hic reciproca accipitur, scilicet tam ipsa Dei beneficentia, qua Hebraeis mane dabat manna, ac manna quantibus dat gratiam, quam Hebraeorum et nostrorum, puta gratiarum actio, qua ob manna, omnemque gratiam a nobis Deo agende sunt gratias: ita Lucas Bregensis in *Notis* hic, Vatablus, Jansenius, Clarus et alii; unde grece est *ἡ εὐχαριστία* *ἡ χάρις*; *εὐχαριστία* autem et *gratiam* et *gratiarum actionem* significat; hinc Venerabile Sacramentum dicitur *Eucharistia*, quia summam gratiam, puta Christum omnis gratiæ fontem continet, ideoque summam a bonis gratiarum actionem requirit; unde per antithesin subdit: « Ingrati enim spes, » etc., ubi manifeste *εὐχαριστία*, id est *gratum* opponit *εὐχαριστία*, id est *ingratus*. Porro hæc voce *εὐχαριστία*, præcludit et alludit ad mysticum manna legis novæ, scilicet ad corpus Christi in Eucharistia.

ET AD ORTUM LUCIS TE ADORARE; — grece est, *ἑσπέραιον*, id est *occurrere* (scilicet Deo), interpellare, orare, intercedere pro rebus tum privatis, tum publicis, *q. d.* Si Deus adeo diligens est, ut primo mane nobis manna et gratiam suam offerat, utique docet nos simili diligentia Deo occurrere, ut illius gratiam grate excipiamus. *Ortus* hic non significat cœli situm, puta orientem et orientalem cœli plagam: Hebræi enim orabant conversi non ad orientem, ut faciunt Christiani, sed respicientes ad Sanctum sanctorum, quod erat ad occidentem, uti docet S. Hieronymus in *Ezech.* cap. viii; ortus ergo hic solis lucis exordium significat, puta mane et auroram, tum enim colligendum erat manna, nam post solis ortum ejus radius liquabatur, ut discerent Hebræi non sterere, sed mane surgere ad orationem et ad parandum cibum: nam diligentibus occurrit et succurrit Deus. Vult enim jure suo Deus cæteris curis rebusque anteponi, ac primitias diei sibi dicari, ut ab eo totius diei fidelem decursum impetromus; unde S. Athanasius in *Psalm.* v: « Magnum, ait, certaminis decus, e lecto ipso Deo sistere seipsum, et prævenire in gratiarum actione solem; » et S. Chrysostomus in *Psalm.* v, ad illa: *Mane exaudis vocem meam*, sic ait: « Ab initio diei David dabat Deo primitias. Oportet, inquit, ad gratias libi agendas solem prævenire, et ante ortum lucis te interpellare. Tu autem imperatore quidem minime patiaris eum, qui est inferior, ante te adorare: nunc autem sole oriente ipse dormis, et cedis primo loco creaturæ, nec omnem creaturam prævenis, quæ propter te facta est, nec ei agis gratias, sed cum surgis, manus et faciem lavas, animam autem innuendum negligis, » etc. Idem sanxit Moyses, *Deuter.* vi, 7: « Meditaberis in eis, etc., dormiens atque consurgens, » ubi plura hæc de re congressi. Esto ergo, o christiane, o sacerdos, o religiose, philomela-aurore, imo « esto cicada nocturnam, » uti scribit et præscribit S. Hieronymus

Eustachio: sicut enim aves diluculo cantant, ad philomela sua melodia solem prævenit, et venientem quasi allicit et salutat, sic pariter fideles mane solem justitiæ suis hymnis et precibus salutem oportet: id fecere esset et primi christiani, qui teste Plinio antelucanos Christo canebant hymnos: quin et Judæi quotidie mane offerebant Juge sacrificium, uti etiamnum fideles mane dicunt vel audiunt misse sacrificium. Porro hæc de causa christiani orant, non tantum mane in aurora sub ortum solis, sed etiam conversi ad eum orientem, sive ad orientalem mundi plagam, idque faciunt ex apostolica traditione, ut ait S. Basilius *De Spiritu Sancto*, cap. xxvii; Athanasius, vel potius Anastasius Nicænus in *Quest. S. Scripturæ*, Quæst. xviii, et alii.

Primo, ut beneficium solis, qui oriendo hominibus totique mundo lucem, hilaritatem, calorrem, vitam et fecunditatem offert, agnoscent, Deoque gratias agant. *Secundo*, quia oriens est nobilior pars mundi: ab oriente enim oritur lux et sol, qui symbolum et hieroglyphicum est Dei; unde et oriens pro luce sumitur: hæc causam dat S. Justinus, lib. *Quest.* cxviii, S. Dionysius *De Eccles. Hier.*, part. ii, cap. ii, et S. Cyrillus, *Catech. I Mystag.* Quod igitur oriens fons velut quidam luminis haberetur, atque occidens esset hieroglyphicum tenebrarum, inde etiam ea vetus fuit in Ecclesia observatio, ut baptisimata initiandus, diabolo prius renuntiatus, occidentem versus staretur, sique positus, tertio illa renuntians verba profertur, idemque postea Christum Dominum confessorus ad orientem conversus, id totidem vicibus faceret. Idque non tantum S. Dionysius, sed et Cyrillus testatur. *Tertio*, quia paradisi ex quo ejecti sumus in Adamo, et ad quem suspiramus, situs erat ad orientem: ita Damascenus, lib. *IV De Fide* cap. xii, et S. Cyrillus loco jam citato, ac S. Basilius et Nyssenius apud Moysen Barcephala, lib. *De Parad.*, part. i, cap. xiv. *Quarto*, quia Christus crucifixus respiciebat occidentem, nam dorsum obvertebat ad rosolyam et orienti, faciem vero convertiebat ad occidentem, puta versus Romam et Europam; dum ergo oramus conversi ad orientem in Christum crucifixum respiciamus, illicque occurramus. Rursum, Christus ascendens in cœlum ad ortum efferebatur, ibique adoratus est a discipulis, ab qua ita inde venturus est ad iudicium, uti eum ibidem ascendentem in cœlum conspexerunt apostoli, juxta illud *Zachar.* xiv, 4: « Stabant pedes ejus in die illa supra montem olivarum, qui est contra Jerusalem ad orientem. » Et illud *Psalm.* cxxxi, 7: « Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus; » hinc et Christus ipse vocatur *Oriens*, *Zachar.* vi, 12. Hasce omnes causas affert S. Athanasius in *Quest. ad Antiochium*, *Quest.* xxxvii, sed præsertim primam: « Adoramus, inquit, ad orientem, quia Deus est lux vera, eamque ob causam ad lumen conversi creatum isquid, non

creatum illud lumen, sed ejus luminis creatorem adoramus, et ex elemento omnium splendidissimo, omnium elementorum splendidissimum creatorem beum veneramus. » Adverte tamen hæc questionem non esse S. Athanasii Alexandrini: nam, *Quest.* xxiii, auctor citat S. Athanasium Alexandrinum, et *Quest.* cxxix, S. Gregorium Nazianzenum qui S. Athanasio fuit posterior, imò in isdem citatur S. Chrysostomus, Scala Joannis Climachi, Maximus, Nicephorus; unde liquet auctorem longe posterioris ævi fuisse, ut recte advertit Beharminus, Sixtus Senensis, Possévinus et alii Scriptores ecclesiastici.

Porro ex hoc ritu orandi ad orientem factum est, ut nonnulli rudes christiani ac priscillianiste heretici solem orientem adorarent, quos redarguens S. Leo, serm. 7 *De Nativitate*: « De talibus, inquit, insulitatis (priscillianistarum videlicet) illa etiam generatur impietas, ut sol inchoatione diurnæ lucis exurgens, a quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur. Quod nonnulli etiam christiani adeo religiose se facere putant, ut priusquam ad Beati Petri apostoli Basilicam, que uni Deo vivo et vero est dedicata, perveniunt, superatis gradibus, quibus ad suggestum hæc superioris ascenditur, converso corpore ad nascentem se solem deflectant, et curvatis cervicibus in honorem se splendidi orbis inclinant; quod fieri partim ignorantie vitio, partim paganismi spiritu, multum tabescimus et dolemus: quia et si quidam forte creatorem potius pulchri luminis, quam ipsum lumen, quod est creatura, venerantur, abstinendum tamen est ab hujusmodi specie officii. » Hæc ille idcirco, ne quid

commune cum priscillianistis atque gentilibus fideles haberent: vide Baronium, tom. I, ann. Christi 38, num. 86. Porro gentiles solentibus diis primam horam nutiare, quasi iis matutina et prime salutationes essent gratissima. Idem fores principum mane obsidebant, ut egredientibus obviam prodiret ac salutem precarentur, uti multis exemplis ostendit noster Pineda in *Job*, cap. xxxi, vers. 30, num. 9.

INGRATI ENIM SPES TANQUAM HYBERNALIS GLACIES TABESCAT. — S. Thomas, II II, *Quest.* cvii, art. 4, notat hæc gnome significari, quid ingratus pati mereatur, quidque justo heu iudicio sepe illi accidat, scilicet ut ob prioris beneficii ingratitude, posteriori, quod sperat, privetur, ejusque spe frustretur: nam alioqui, inquit, fidelis et liberalis viri est benefacere etiam ingrato, nisi per beneficia fieret peior et ingrator: tunc enim ad vitandum hoc malum cessandum est a beneficio. Probat exemplo Dei, qui benefacit ingratis assidue, « dum solem suum orti facit super bonos et malos, ac pluit super justos et injustos, » *Lucæ* vi, et *Matth.* vi. Confirmat et ratione, quia, inquit, fidelis debet tendere ad hoc, ut de ingrato faciat gratum: quod si facere nequit primo beneficio, forte faciet secundo, tertio, vel quarto; citatque Senecam, lib. *De Benef.* cap. vii, qui et cap. v, causam ingratitude, quam tangit hic Sapiens, assignat dicens: « Memoriam minimum tribuit, quisquis spei plurimum, » *q. d.* Ideo ingrati sunt immemorare beneficii præteriti, quia toti sunt pleni spe futuri: quia enim toti anhelant inhiantique novis donis, que accipiuntur et sperant, hinc obliviscuntur præteritorum.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Cap. xv ostendit veram sapientiam consistere in cultu veri Dei, insipientiam in cultu idolorum. Id cap. xvi probavit exemplo Ægyptiorum, quibus Deus aquas in sanguinem vertit; ac Hebræorum, quos vult sui cultores Deus in siti aqua de petra potavit, ac in fame coturnicibus et manna celesti eduxit: mane ipsorum prosecutus et demonstrat per aliam Ægyptii plagam, scilicet tenebrarum, qua: ordine fuit nana, in qua Hebræi fruebantur clara luce, Ægyptii vero dejectes in densis tenebris variis spectris, æque ac timoribus exturbabantur. Graphice ergo depingit tenebræ Ægyptiacas, ac terrores mala conscientia.

1. Magna sunt enim iudicia tua, Domine, et inenarrabilia verba tua: propter hoc indisciplinata anime erraverunt. 2. Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ: vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt. 3. Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebrosæ oblivionis velamento dispersi sunt, paventes horrende, et cum admiratione animæ perturbati. 4. Neque enim quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat: quoniam somnitus descendens perturbabat illos, et personæ tristes illis apparentes pavorem illis præstabant. 5. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpida flammæ

mae illuminare poterant illam noctem horrendam. 6. Apparebat autem illis subitaneis ignis, timore plenus : et timore percussus illis, quae non videbatur, faciei, aestimabant deteriora esse quam videbantur : 7. et magicæ artis appositi erant derisus, et sapientie gloria corruptio cum contumelia. 8. Illi enim qui promittebant timores et perturbationes expellere se ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languerant. 9. Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat : transitu animalium et serpentium sibilatione commoti, tremebundi peribant : et aerem, quem nulla ratione quis effugere posset, negantes se videre. 10. Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis : semper enim praesentit se, perturbata conscientia. 11. Nihil enim est timor nisi proditio cogitationis anxiorum. 12. Et dum ab intus minor est expectatio, majorem computat inscientiam ejus causae, de qua tormentum praestat. 13. Illi autem qui impotentem vere noctem, et ab infirmis, et ab altissimis inferis superventientem, eundem somnum dormientes, 14. aliquando monstrorum exagitabantur timore, aliquando animae deficiebant traductione : subitanens enim illis et insperatus timor supervenerat. 15. Deinde si quisquam ex illis decidisset, custodiabatur in carcere sine ferro reclusus. 16. Si enim rusticus quis erat, aut pastor, aut agri laborum operarius praecoccupatus esset, ineflugibilem substinebat necessitatem. 17. Una enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos avium sonus suavis, aut vis aquae decurrentis nimum, 18. aut sonus validus praecipitarum petrarum, aut ludentium animalium cursus invisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus Echo; deficientes faciebant illos praetimore. 19. Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, et non impellitis operibus continebatur. 20. Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quae superventura illis erat. Ipsi ergo sibi erant graviores tenebris.

1. MAGNA ENIM SUNT JUDICIA TUA, DOMINE, ET INENARRABILA VERBA TUA : PROPTER HOC INDISCIPLINATAE ANIMAE ERRAVERUNT : — grece, magna enim tua judicia, et narrata difficilia : propterea imperitia animae in errorem inducitur tuus, q. d. Judicia tua, Domine, quibus fideles tuos Hebraeos bonis, v. g. coturnicibus et manna cumulasti, infideles vero Aegyptios malis, v. g. aquis sanguineis cruciasti, sunt alta et arcana, ideoque inenarrabilia sunt verba, id est opera tua jam dicta, quae verbis tuis, puta jubendo duntaxat effecisti, ideoque imperite animae, quales erant Aegyptiorum, dum superbe volunt ea scrutari et comprehendere, in errorem inducuntur : nam aestimarunt haec, vel casu, vel natura, vel fato fieri, non libera Dei providentia et vindicta, ideoque Deo se opposuerunt, nec Hebraeos, uti ipse jubebat; voluerunt dimittere : quocirca in graviores penas ab eo inflatas, puta tenebrarum, imprudentes incidenter : hanc esse sensum liquet ex his quae sequuntur.

2. DUM ENIM PERSUASUM HABENT INIQUI, POSSE DOMINARI NATIONI SANCTAE, VINCULIS TENEBRARUM ET LONGE NOCTIS COMPEDITI, INCLUSI SUB TECTIS, FUGITIVI PERPETUE PROVIDENTIAE JACERUNT. — Describit novam Aegyptii plagam, quae fuit densissimum tenebrarum, q. d. Dum iniqui Aegyptii putarunt se invito Deo posse dominari genti sanctae, id est populo Dei, ejusque cultui dicato, puta Hebraeis, tenebris nocturnis velut vinculis compacti, domorum suarum tectis inclusi, velut

extortes et alieni a Dei providentia, quasi vinciti et incarcerationi jacerunt : unde Lucifer pro S. Athanasio legit, *vinciti tenebrarum catenis; et longa nocte compediti*. Erant enim haec tenebrae horribiles adeoque dense, ut viderentur palpabiles, idque per tres dies; unde tunc nemo vidit fratrem suum; nec movit se de loco suo, in quo erat : ubicumque autem habitabant filii Israel, lux erat, » *Ecod. x. 22*, ubi fusa de hisce tenebris egi : quare ibi dicta hic non repetam. Addit Philo, lib. I *De Vita Moysis*, Aegyptios hoc tenebrarum triduo adeo fuisse percussos, ut nec loqui, nec audire, nec comedere possent, sed per silentium fame cruciatis non nisi de tenebris cogitasse : sic qui habitant sub polo antarctico, confusum habent noctem ab aequinoctio verno usque ad aequinoctium autumnale, puta a die 21 martii usque ad diem 23 septembris, uti testatur Pli-nius, lib. II, cap. vii; Solinus, cap. xx et xxv; S. Isidorus, lib. I *Origin.* cap. vi; Olaus Magnus in *Historia Septentr.* : id ad oculum in *Sphera* demonstrat noster Clavius.

INCLUSI SUB TECTIS (Septuaginta et Philo habent, *sub lectis*, quasi toto hoc triduo Aegyptii non ausi fuerint surgere et lectis : qui enim timent, in lectis tutiores se estimant), FUGITIVI PERPETUE PROVIDENTIAE : — grece, *φυγιδες τῆς αἰωνίου προνοίας*, id est *caesules a perpetua providentia*; Vatablus, *ab aeterna providentia profugit*. Primo, Noster Lorinus sic exponit, q. d. Aegyptii, cum se putarent posse fu-

gere Dei providentiam et vindictam, ab ea velut rei servique fugitivi comprehensi tenebrarum velut catenis constricti, quasi in carcere compacti sunt. Secundo, Jansenius, q. d. Aegyptii in tenebris jacerunt quasi fugitivi, id est destinati et exsulsi a providentia Dei, quae perpetuo homines per solem illuminet. sic et a Castro : Fugitivi, inquit, hoc est expulsi ac proligati a Dei providentia, quae per singulos dies homines visitat solis claritate, quo toto illi triduo caruerunt. Tertia, Petrus Nannius, q. d. Aegyptii in tenebris fuere fugitivi, id est ignari et expertes aeternae providentiae, ac ab ejus cognitione relegati, utpote de cujus oculis et aspectu male sentiebant : negabant enim Dei veri nomen, providentiam et vindictam; unde explicans subdit, » dum putant se latere in obscuris peccatis : » omnia haec huic loco congrua et apposita sunt, siue tropologie Cantacuzenus : Fugitivi, inquit, perpetuae providentiae sunt, qui contemunt mandata Dei, perpetuum habentis rerum omnium providentiam.

JACERUNT : — Ita Romanae et Graecae; perperam ergo nonnulli legunt *placuerunt*; alii *laturant*, in quibus proinde interpretandis frustra descedat S. Bonaventura, Hugo, Lyranus et Dionysius.

3. ET DUM PUTANT SE LATERE IN OSCURIS (grece, *ἐν σκοταίς*, id est *occulis*) PECCATIS, TENEBROSO ORATIONIS VELAMENTO DISPRESI SUNT, PAVENTES HORRENDE, ET CUR ADMIRATIONE NIMIA PERTURBATI. — Grece, *καὶ ἐν δειλίῳ κατακλιθεὶς*, id est, et *phantasmatibus vel spectris conturbati*. Sensus est, q. d. Quia Aegyptii multa in tenebris scelera, ut sacrificia demonum, ait Cantacuzenus, de quibus cap. xiv, 23, perpetrabant, hinc congrue tenebris densissimis puniti sunt, quasi dicat eis Deus : Tenebrosus estis, lucifuge estis, tenebras ambitis, tenebras quas amovisti accipite : lucem fugitis, fugiat ergo pariter lux a vobis. Tenebras Aegyptiacas vocat tenebrarum *noctem*, id est *oblivionis velamentum*, quia ille Aegyptios corumque oculos velabant, ut invicem non viderent, ac metu percussis suorum animam parentum, filiorum, uxorum, fratrum obliviscerentur, cum de se neque salute quisque esset sollicitus et anxius; non dispersi et separati ab invicem toto tenebrarum triduo manserunt, *Ecod. x. 23*. Rursum, haec tenebrae velabant Aegyptios, ut a Deo per solis radios non aspicerent, utpote qui Dei ejusque providentiae ignorantia, velut caecitate velatos habebant mentis oculos. Notat ergo hic triplex velamentum, primo, velamen Dei, quo Deus solem suum velabat, non Aegyptios aspiceret, vel ab eis aspiceretur; secundo, Aegyptiorum, quo tenebris velatos habebant oculos; tertio, peccati, quo Aegyptii non credentes Dei providentiam, et impune peccantes, infidelitate et sceleribus velabant animi oculos.

Porro Petrus Nannius *τὴν νύκτα*, accipit ut nomen proprium, significans *Lethen fluvium inferni*, qui eo descendentes omnium rerum oblivio-

nem inducere perhibetur, unde verit : *Obscuratio Lethes operatur*, quia in sequent. vers. 13, asserit Sapiens noclem illam ex *δύο*, id est *orci* penetrabilibus emersisse, quasi fila caligo vere umbra mortis existerit, et ex nebulis Lethes contexta fuerit; unde ex greco *λύθη* Latini *lethum*, id est mortem deducunt, in qua est summa caligo et rerum omnium oblivio, tam activa, quam passiva : morientes enim obliviscuntur omnium, et vicissim ab omnibus oblivioni traduntur. Conset ergo Nannius, sapientem hic alludere ad Lethen fluvium, quem apud inferos esse poete tradiderunt, cujus aquas si quis gustaverit, illico omnium rerum praeteritarum obliviscitur; hinc *ἀνά τῆς νύκτας*, id est *ab oblivione* nomen habet. Datus est huic fabule locus, quia morientibus omnium rerum oblivio succedit. Constat autem Lethen fluvium existere in Africa circa extremum Syriam oceanum, ac Berenicam urbem allicere; sed apud omnes fama est, ad ea loca ex inferna inundatione prorumpere; unde Lucanus, lib. IX :

Quem juxta Lethes lacinus prohibuit amnis,
lufusis (ut fama) tenebris obliviva vetis.

Sic sensus erit, q. d. Aegyptii cimicibus hisce tenebris adeo erant obvelati et obsecati, ut omnium rerum oblitii, ex Lethae inferni amne oblivionem ipsam potasse viderentur; unde Abuleus in *Ecod.* cap. x, ait Aegyptios summa caligine circumfusus, anima, memoria et imaginatione perturbati, nec ubi esset cibus, nec ubi potus, nec ubi mensa, aut sedes, vel quid simile recordari potuisse.

DISPERSI SUNT, PAVENTES HORRENDE, ET CUR ADMIRATIONE NIMIA PERTURBATI. — *Dispersi sunt*, non quod Aegyptii vagabundi oberrarent quaerentes lucem, nam praeparare a nemo movit se de loco in quo erat, » *Ecod.* cap. x, 23; sed *dispersi sunt*, id est disjuncti et separati ab invicem manserunt, ut nemo alium adire, juvare, solari possent, nec vicissim ab eo opem vel consolationem in tanto metu accipere : nam « nemo vidit fratrem suum, » *Ecod.* cap. x, vers. 23. *Paventes horrende*, tum ob tenebras, tum ob spectra, de quibus mox : ob utraque enim illa erant pavidi et consternati, ut nescirent quo se verterent, imo nec loqui neque hincere audent, nec de cibo, potu, veste, aliavere cogitare possent : ita Abuleus in *Ecod.* 3. Quast. II. *Et cum admiratione nimia perturbati*, grece est, *ἰν δειλίῳ*, id est *simulacris, visis, larvis, phantasmatibus, spectris conturbati*, quibus ita percellabantur, ut ab his se necandos putarent, si loco se moverent, ac deteriora quoque in singula momenta formidarent et expectarent; unde *admiratione nimia*, ut verit Noster, id est stupore et consternatione insolita *perturbati*, videbantur attoniti et mentis impotes. Quenam fuerint haec spectra in sequenti explicat. Porro spectra haec partim pariebant pavor et scelerum conscientia, haec enim, aequae ac pavor, tristes ve-

hementesque imaginationes menti obijcit, adeo ut pavidus eas sibi auribus audire et oculis carnere videret; partim ea immittebat eis Deus per angelos vel demones.

4. NEQUE ENIM, QUÆ CONTINEBAT ILLOS SPELUNCÆ, SINE TIMORE CUSTODEBAT: QUONIAM SONTUS DESCENDENS PERTURBABA ILLOS, ET PERSONÆ TRISTES ILLIS APPARENTES PAVORE ILLIS PRESTABANT; — Vatablus, *neque enim latebra, qua continebantur, securos reddebat ipsos, sed sonitus pavore percellens eos circumstrepabat, larvæque tristi aspectu truces offerebant*; alii, *spectra tristia mestis vultibus apparent*; Pro spelunca, *græce est πυξίς, id est latebra, recessus, penetrabile, inima pars domus vel loci, quale est cubile et lectus, in quo attonitos jenuisse Ægyptios docet Philo, et Septuaginta, Exod. x, 23. Adde, quivis locus abditi et obscurus per catachresin vocatur spelunca, quia spelunca ob suas cavitates et cavernas, summe est abdita et obscura; unde illud Poete:*

Spelunca abditi atris,

id est obscuris et profundis: profunda enim sunt obscura, et obscura videntur esse atra et nigra. Est metalepsis; non ergo Ægyptii fugerunt ad speluncas proprie dictas, ut vult S. Bonaventura, cum nemo ausus fuerit se loco movere, uti dicitur Exod. x. Simili schemate, vers. 3, hæc cubitalia et loca Ægyptiorum, ob tenebras et pavorem vocavit *cavernæ*: adde initio tenebrarum sensum lucem adimentium et inrescentiam, aliquos ex metu fugisse ad antra et speluncas, ibique terrificis sonis et spectris magis fuisse percussos ob loci horrorem: ita a Castro.

QUONIAM SONTUS DESCENDENS PERTURBABA EOS. — *græce, ἡρὸς δὲ καταβήσωνος; ἀνὰ; περιελάσαν, id est, sonitus autem perturbans eos circumstrepens, vel cum impetu et fragore (quales edit aqua ex aperitis fractis cataractis impetuose erumpens) ipsis obstrepent, vel soni cum vehementia decedentes et percellentes strepant circum eos, hoc est fragores instar tonitruum circumstrepent et terrorem incutebant: videbant enim eis, quod tonitruum ex alto eis feriret, quodque Deus fulmina in capita eorum vibraret.*

ET PERSONÆ TRISTES ILLIS APPARENTES. — *Græce, εἰδόμενα, id est visiones; apparitiones, spectra, larvæ mensis dejectisque vultibus tristes et truces eis offerebantur, quæ phasmata, sive phantasmata valde augebant terrorem tenebrarum Ægyptiorum: licet enim hæc essent densissima, ut visionem omnem impedirent, tamen in his subinde intermiccabat ignis, ut sequitur vers. 7, cuius luminæ spectra ab Ægyptiis conspici poterant. Porro personæ hæc et spectra, non solum imaginaria erant, ut vult Dionysius et S. Bonaventura, qui demones hominesque defunctos censet objectos phantasie Ægyptiorum; sed et realia, quæ oculis corporeis cernebantur, non tantum nocti in somnis, sed et per diem in vigi-*

lia, uti docet Abulensis, Exod. x, qui censet tenebras has vocari *horribiles*, propter horribiles umbras et larvarum visiones. Rursus spectra hæc videntur fuisse infantium Hebræorum, quos injulsi Ægyptii in Nilo miserant; grandium quoque juvenum et virorum, quos fisdem nimis laboribus, flagellis et injuriis occiderant; item demonum, quos in idolis suis variis larvis et formis coluerant, uti Apin specie vituli, Amubin specie canis, Hammonem specie arietis, etc.; iuste ergo larvis puniti sunt, qui infantes occidendo, animas eorum in umbras et larvas transire putaverunt, ac larvas demonum venerando adoraverunt. Insuper larvæ hæc sepe ab angelis vel demonibus adtinguntur, subinde tamen sunt ipsæ anime defunctorum existentes in purgatorio vel inferno, quæ a Deo sinantur egredi et apparere vivis, ad eorum vel admonitionem vel castigationem, ut dixi cap. II, vers. 4, ad illa: « Non est qui agnitus sit reverens ab inferis. » Denique umbræ et spiritus, quia apparent, maxime solent esse eorum, qui fuerunt tyranni, violenti, pauperum oppressores, in parentes impij, aut tradidit occisi; aut misere in fraudem induci et seducti, uti nullis exemplis deprehensum est: vide nostrum Delrio in *Magic.*, et Thyremum in *Vision.*

Nota, hic multa supplet Sapiens, quæ Moyses tacuit in Exodo: primo enim harum larvarum Moyses non meminit. Secundo, vers. 16, ait Sapiens, ignem in tenebris intermiccantiem perstrinxisse et percussisse Ægyptios, de quo alium est in Exodo silentium. Tertio, v. g. ait sibilos serpentum, et strepitus fementisque bestiarum (de quibus nil habet Moyses) mire exterruisse Ægyptios in densis tenebris pavidos, præsertim cum earum rerum causas ignorarent, ut vers. 13 habent Græca. Unde per catachresin tenebras hæc vers. 2 et 48, vocat *catenam*, adeo enim per eas terrebantur, ut nemo se loco movere audeat, perinde ac si catena fuisset victus: timor enim homines et animalia ita obstupescit, ut movere se nequeant, sed quasi stupescit et attoniti consistant immobiles, quia in timore calor et spiritus animales, qui motus sunt causa, recipiunt se a cerebro ad cor, ut illud vult sedem roborent et muniunt: quare cerebrum his ad motum et sensum uti vix potest. Porro eo major Hebræi erat consolatio et gaudium, quod eodem tempore in clarissima luce degerent, ut dicitur vers. 13.

3. ET IGNIS QUIDEM NULLA VIS POTERAT ILLIS LIBERARE, NEC SIDERUM LIMPIDE FLAMMÆ ILLUMINARE POTERANT ILLAM NOCTEM HORRORANDAM; — *græce, ὀφθαλμοῖς, id est tristem, molestam, moestam, odiosam, terribilem, tum ob densitatem tenebrarum earumque continuationem per tres dies, tum propter spectra horrenda tenebris sese immiscita: Aben-Ezra et Cajetanus in Exod. cap. x, per ignem accipiunt lucem celestem solis et stellarum, de quibus sequitur, q. d. Ægyptiis lucem dare non poterat sol, luna et stellæ; eisdem tamen domi lucem præbebant candelæ et lucernæ, ad quas edere, bibere, operari et ambulare poterant; verum hoc confortum et violentum est. Quare proprie accipiendus est ignis, ut accipiunt ceteri interpretes, q. d. Adeo dense Ægyptiis erant tenebre, ut nullæ faces, nullæ tedæ, nullæ lucernæ, nulli ignes sua vi, græce βίη, id est violentia (ignis enim vis est violenta, et violentior omnia illuminat et inflammat) posset eas dispellere vel illuminare, tum quia Deas eis concursus suum, qui necessarius est ad agendum et illuminandum, subtraherat; tum quia, ut ait Philo lib. I De Vita Moysis, « ignis, quo quotidie utimur, splendor vel aere turbato exstinguebatur, vel vincebatur a crassissimis tenebris, ita ut salvis oculis, summe necessarium videndi sensum, tanquam ex oculati requirerent. » Ubi nota, omnis lux terrestris est mixta igni, imo ex eo prodit, velut ejus dos et proprietas: quare lux candelæ, lucernæ, facis, etc., revera ignis est lucidus, siva lucens: idem multi sentiunt de luce celestis solis et stellarum, uti dixi Eccl. XLII, 3; unde Sapiens hic vocat limpidas siderum flammæ.*

NEQUE STELLARUM, — q. d. Uti nullus ignis terrestris, sic nulla lux celestis Ægyptiis lucem dare poterat, ob causas jam dictas; unde pro neque poterant, græce est, ἀδύνατοι, id est non sustinebant, non audebant, scilicet contra Deum nitii, et tam arduum opus aggredi, ut tam densas tenebras ab eo inductas dispellere præsumerent: creatura enim creatori obniti et reluctari non audeat, nec valet: Unde Philo: « Serena, inquit, die repente effusa sunt tenebræ, continuis densisque nubibus celum subtentibus, et nimia constipatione interclusis radiis siderum, ut dies nil differret a nocturna caligine: tantus enim fuit horror, id est densitas aeris caliginosi, ut non admitteret lumens, siderum propter horrendam crassitatem. » Iuste Ægypti omni luce celesti privantur, qui lucem divine cognitionis in Moysæ et Hebræis exstinguere satagebant, uti docet cap. XVIII, 4. Allegorice hæc tenebræ Ægyptiicæ viva erant imago, adeoque præludium tenebrarum inferni, ita Hugo; tropologicè vero significabant eccitatem mentis in malo obstinate, ait Origenes in Exod. cap. x, vers. 23, quam nec ignis beneficiorum Dei, nec focus gehennæ, nec flammæ coactionum, nec sidera inspirationum discutere, aut illuminare valent. Pro limpida flammæ, græce est, ἰσχυροῦς φλόγης, id est splendida, fulgida, illustres flammæ, ita vocat radios solis et stellarum, quia flammarum habent speciem, quæ ac vim illuminandi et calefaciendi, unde Plato cum suis censuit stellæ vere esse ignes, quem secutus Poeta:

Vos, inquit, æterni ignes (id est sidera), et non visibilem nomen, Testor.

6. APPAREBAT AUTEM ILLIS SUBTANEUS IGNIS TI-

VII.

MORE PLENUS: AUT TIMORE PERCULSI ILLIUS, QUÆ NON VIDERATUR, FACIÆ, ESTIMABANT DETERIORA ESSE QUÆ VIDERANTUR: — ita Græca et Romana; perperam ergo multi in fine legunt negative, quæ non videntur: sensus est, q. d. Cum nullus ignis terrestris, nec ulla lux stellarum Ægyptiis, posset dare lucem, quæ eis voluptatem facultatemque comedendi, ambulandi et operandi afferret, Deus tamen immittebat eis intermiccantes ignes quasi fulgetra, non ad voluptatem, sed ad terrorem, scilicet ad hoc ut spectra horrenda, quæ ipse submittebat, ignis hujus luce videre et spectare possent. Unde « timore percussi ejus, quæ non videbatur, » scilicet plene et perfecte (ut pole impendentibus tenebris) « faciæ, » puta spectrorum, « aestimabant deteriora esse, quæ videbantur, » q. d. Cum spectra hæc imperfecta, et quasi dimidiata tantum se, suasque facies ostentarent Ægyptiis, ipsi spectra hæc, quæ videbant, aestimabant in se esse deteriora, quam oculis videbantur; putabant enim aliqua pejora, quæ non videbant, quasi abscondita latere sub his quæ videbant. Id faciebat horror et metus, hic enim semper deterruit, quam a parte rei sint, apprehendit, metuit et auguratur, nil videre est in metulosis et hydrophobis, qui phlegmate frigido abundantes umbras, imo omnia tuta timeant, v. g. ne domus ruat, ne flumen eos abripiat, ne quod animal eos invadat et laniet, etc.

Pro apparebat autem illis subitaneus ignis, græce est, διαφανὸς δ' αἰθέρι; ἴσως αἰσθητὸν κατὰ, id est, apparebat autem illis solis, vel solum spontanea pyra: ubi singula verba habent emphasis, et novam terrorem causam augerunt: primo enim διαφανὸς, id est apparebat, interlucet, intermiccabat, translucebat, significat ignem hunc obiter et in transcurso inter tenebras emicuisse, instar coruscationis et fulguris, et mox disparuisse, ac post modicum subito et inopinatum rursus coruscasse, itaque hæc sui ostentatione et disparitione continuam Ægyptiis pavorem incussisse: fulgura enim et fulgetra mire homines percellunt, Rursum ignem hunc non e longinquo tibi fulgura, sed e vicino apparuisse, ita ut Ægyptiorum prope afflaret oculos, ac pene adureret. Secundo, ἴσως notat Ægyptios solos hæc vidisse, non Hebræos; rursum, nil nisi fulgura cum spectris Ægyptios aspexisse, quoad reliqua vero fuisse densissimas tenebras, quæ omnia simul juncta terrorem augebant: nam et fulgura in tenebris magis exhorrescimus, quam in lumine. Tertio, ἴσως αἰσθητὸν significat coruscationem hæc fuisse fortuitam, spontaneam, casualem, improvisam, sine prævia causa vel impulsu; improvisa autem mala magis terrefaciunt, prævisa enim tela minus ferunt. Quarto, κατὰ significat ingenium fuisse hunc ignem, adeo ut pyram, id est ingentem acervum ignium colloquentium efficeret, quæ eis omnium rerum incendium comminabatur: pyra enim hæc erat fulminea, adeoque non aliter

quam conglobata fulmina esse videbatur; unde merito metuebant, ne fulminibus hisce afflarentur et necarentur, sicut fulmine afflatus fuit Simeon Stylites vir mirae orationis, teste Joanne Moscho in *Prat. Spirit.* cap. LVII.

ET TIMORE PERCLUSI EIUS, QUAE NON VIDEATUR, FACIEM, ESTIMABANT DETERIORA ESSE QUAE VIDEANTUR. — Pro facie, graece est *ὄψος*, id est *visionis*, hoc est rei visae, puta ignis qui videbatur, et facierum sive spectrorum, quae per ignem videbantur; unde putabant ea deteriora et horribiora esse, quam revera erant, quia imaginabantur sub visis occultari alia maiora, quae sese videnda non praebent, e quibus sibi damna gravissima, imo mortem et exitium, imminere parentes augurabantur, maxime vero timebant, ne larvæ et spectra eos invaderent et necarent. Unde Cantacuzenus exponit, eos ignem hæc spectra ostendentem ita exhorrisse, ut mallent esse in densis tenebris, quam in luce tam formidabili, totaque spectris horrenda. Nota *ἵ* eius quae non videbatur facti: solent enim umbrae et spectra faciem habere umbrosam, atram, obscuram, ac saepe veste albi velo obiectam instar legitimum; imo subinde non nisi per tenuem umbram sese videnda exhibent, quin et sine umbra, sive facie et specie, solo motu, strepitu, aut voce se auditui obijciunt, ita ut non videantur, sed audiantur duntaxat, uti sese exhibuit umbra Samuelis videndam Pythonisse, sed audiendam duntaxat Sauli, I *Reg.* XXVIII, 14.

7. ET MAGICE ARTIS APPOSITI ERANT DERISUS, ET SAPIENTIAE GLORIE CORREPTIO CUM CONTUMELIA; — graece, *παρὰ τὴν σοφίαν ἐπαίματα ἔτιοντο*, id est, *magicae autem artis ludibria jacebant*, vel significantius *apposita erant*, q. d. *Primo*, non tantum magice magorum Pharaonis artes ad avertendas tenebras, ceterasque plagas a Deo per Moysen Aegypto inflictas *jacebant*, id est infirmæ erant et invalidæ ad eas avertendas, sed et in derisum apposita et exposita sunt, ac in ludibrium abiectum. Deus enim irritis magiam Aegyptiorum hunc tenebrarum timore, et hisce earum spectris, quæ magi omni sua arte et demonum opo, nec a se nec ab aliis depellere poterunt; quare ipse Pharaon, ceterisque Aegyptii magos velut impotentes et fallaces objurgarunt et irriserunt, teste Josepho, lib. II *Antiq.* cap. v, vel juxta aliam sectionem XIII, ipsique magi cum ceteris Aegyptiis in tenebris hisce et spectris trepidationem et pavorem, quem dissimulare et tegere non valebant, præ se ferentes, ridiculos sese præbuerunt cunctis sapientibus, utpote qui superbe jactassent se per magiam omnia Moysis opera thaumaturga, instar telarum araneæ *dissuasuros*; ita se explicat Sa-

piens dum subdit: « Illi enim qui promittebant timores expellere se ab anima languente, hinc cura derisu pleni timore languebant. » Quocirca hinc proprie non agitur de tertia Aegypti plaga, quæ fuit sciniphum, licet id nonnulli velint, in qua vici magi, cum eas instar Moysis producere non possent, suam imbecillitatem confiteri coacti exclamarunt, *Ezod.* VII, 19: « Digitus Dei est hic; » sed agitur hic de nova plaga tenebrarum et spectrorum, quæ mirum non solum Aegyptiis, sed magis ipsis incussit terrorem, itaque ipsos cum magis deridiculos ostendit, omnibusque et eadmodum exsibilandos proposuit. Igitur ex hoc loco constat magos Pharaonis, licet tertio sciniphum signo a Moysese victos, non cessasse tamen Moysi obsistere, ideoque in nova hac tenebrarum plaga, cum per magiam eam discutere vellent nec possent, ridendos sese omnibus exhibuisse, qua in re magis sese ponnas dederunt: ita Cantacuzenus. Huc accedit Vatablus qui veritatem in *ludibria artis magice jacebant cum calumniis per jactantiam sapientie contumeliosa*; et Jansenius qui sic explicat, q. d. Ille magorum illusionis, quibus præfando eadem mira, quæ patrabat Moyses, illudens Pharaoni ceterisque Aegyptiis contra Moysen, iam jacebant, id est victis succumbebant, nec poterant Moysi resistere: id significat Graeca: Ille sensus verus est, at non adequat, nec exhaurit fundum Scriptura, quæ insuper asserit, artes magorum cum magis abiisse in derisum et ludibrium.

Secundo, noster a Castro apposite sic exponit, q. d. Appositi erant derisus, id est ludibria, illusiones et prestigie aderant: larvæ enim et spectra ludificabant et perstringebant oculos magorum et Aegyptiorum, ut putarent se videre horrenda, quæ revera non videbantur; hisce ergo ludibriis oculi magorum, inani et falsa specie rerum capti tenebantur, idque congrua talis pona, ut scilicet hisce spectris illuderent illi, qui suis imposturis alios dolerant, ac prestigias perstringerentur ipsi prestigiatore. Dignetur hic Holcot lect. 189, ut ostendat magicis artibus addictos rideri, non tantum a Deo, angelis et hominibus, sed et ab ipsis suis demoniis.

ET SAPIENTIAE GLORIE CORREPTIO CUM CONTUMELIA, — id est contumeliosa « correptio, » vel redargutio « gloriæ, » id est gloriosionis « sapientie, » id est de sapientia, repete *apposita erant*, q. d. Magi gloriabantur et jactabant se potentiores esse, quam erat Moyses et Deus Hebraeorum: didicabant enim se nosse magiam, id est artem magis arcanam et mirificam, quam non norat Moyses; sed Deus per Moysen hanc inanem et superbam gloriosionem magorum corripuit et redarguit eum eorum dedecore et contumelia, dum eis tantum per tenebras et spectra terrorem incussit, ut expallescere et contremiscentes, a quo omni sua arte magica se liberare et expellere non valuerunt: quare suo malo didicerunt, omnes

suum magiam nil valere contra Dei virtutem, nec suas artes posse amoliri supplicium, quo premebantur. Hunc esse sensum liquet ex Graeco, qui habet, *καὶ τὴν τῆν ἐπιπένη ἀλαλία; διαγχε; ἰσφοβεραι;* quod Complutenses vertunt, *et in prudentia jactantia correptio contumeliosa*; Vaticani, *et jactantia de sapientia* (Jansenius de prudentia) *erat correptio cum contumelia*; clare Clarius, *et arrogantis jactantia correptio cum contumelia*: nam « ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia; ubi autem est humilitas, ibi et sapientia, » *Proverb.* cap. XI, vers. 2. Pro correptio, graece est *διγχε;*, id est *redargutio stringens*, ratio convincens, demonstratio ostendens vitium et falsitatem: pavor enim et tremor magorum ad oculum eos redarguebat, eorumque infirmitatem et fallaciam omnibus ostendebat.

8. ILLI ENIM, QUI PROMITTEBANT TIMORES ET PERTURBATIONES EXPELLERE SE AB ANIMA LANGUENTE, HI CUM DERISU PLENI TIMORE LANGUEBANT; — graece, *ἡν ἰδὲ τὸν τῆν ἐπιπένη ἀλαλία; διαγχε; ἰσφοβεραι;* *hæc eadem timoris morbo ridicula affeiebantur*; Vatablus, *idem ridicula formidine laborabant*; minus recte Cantacuzenus veritatem, *ridicula religione*, vel potius *reverentia* (hanc enim significat *ἐπίστασι;*) *laborabant*, q. d. Magi, ut suam infirmitatem tegeant, dicebant se religione et jussu suorum deorum probreri, ne obsisterent Moysi: hoc enim dicere erat ridiculum, cum Moyses unius veri Dei cultor Aegyptios cum omnibus suis diis ad certamen provocaret, et per tot plagas oppugaret ac expugnaret. Sensus ergo est, q. d. Magi promittentes se tenebras cum spectris, indeque natos timores penitus depulsuros, hi ipsi isdem timoribus percellabantur, ut pavidi, anxii, pallidi, tremuli, nescirent quo se verterent. Vocat *ridiculum timorem*, quia lineabant umbras et spectra rerum, quæ revera non erant, nec reipsa exstabant, uti pueri percelluntur inani umbrarum metu, juxta illud *Psalm.* LII, 8: « Ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor. »

9. NAM ET SI NIHIL ILLOS EX MONSTRIS PERTURBARAT, TRANSITU ANIMALIUM ET SERPENTIUM SIBILATIONE COMMOTI, TREMEMUNDI PERIBANT: ET AEREM, QUEM NULLA RATIONE QUIS EFFUGERE POSSET, NEGANTES SE VIDERI. — Pro nihil ex monstris, Noster cum Regis legit, *ὅτιν ταραχῆ;*, id est *nil monstruosum*; sed Complutenses et Vaticani legunt, *ὅτιν ταραχῆ;*, id est *nil turbulentum* vel terrificum; unde vertunt, *etsi nihil illos terrificum terruisset*: sensus eodem redit, q. d. Etsi a parte rei nihil esset monstruosum vel terrificum, quod Aegyptiis terrorem iniecerit, tamen cum in tenebris audirent voces, et sonitus animalium transcursum ad querendum pabulum, ac presertim serpentium præfame et tenebris sibilantium, trepidantes pene exanimabantur; adeo ut nec aerem inevitabilem, quem scilicet nemo vitare potest, vellent vel auderent respicere, sed eum velut monstris spectrisque plenum horridumque fugerent, optantes

in autris abire et claudi: qui enim timore percelluntur, fugit videri et videri, adeoque oculum, aerem et terram oculis aspiciere metunt et horrent. Est motomyia et catachresis: aer enim, quia subtilissimus, proprie aspicitur et videri nequit; dicuntur tamen timidi ejus aspectum refugere, tum quia ea que in aere visibilia sunt, uti spectra et monstra, videre nolunt; tum quia aerem ipsum vitare cupiunt, angulosque et lateras querunt, quibus se a rebus terrificis, que in aere sunt, subducant et abscondant.

10. CUM ENIM SIT TIMIDA NEQUITIA, DAT TESTIMONIUM CONDEMnationis. — S. Gregorius, lib. XXVII *Moral.* cap. XVIII, legit *condemnationis*; Complutenses et Vaticani, *condemnata*; alii, *data est in omnium condemnationem*; alii, pro *παρὰ τὴν*, id est *dat testimonium*, legentes *παρὰ τὴν*, id est *teste*, vertunt, *proprio teste condemnata*: Graeca enim addunt *ὄψος*, vel *ὄψος*, id est *proprie*, vel *proprio*, quo caret Vulgata. Omnia hæc eodem redeunt, ac significant nequitiam, id est pravam sceleratamque conscientiam esse timidam pervadamque, ac timere ultionem penaeque scelerum, etiam ubi nullæ sunt, eo quod ipsa agnoscat, sibi que testificetur se esse ream, ac obnoxiam condemnationi: ideoque mereri ponnas, quas timet et expavescit. Ipsa ergo nequam conscientia, velut testis et iudex hominem condemnat: nam facta confessione mutaque voce clamat, ac reo exclamat: Tu talia et tanta scelera perpetrasti, ergo mereris et tanta supplicia, que sine dubio Deus tibi irrogabit, et forte nunc in hysce tenebris et terroribus irrogare destinavit; hinc Syrus vertit, *quoniam malitia eorum testatur de illis, et condemnat eos, quia fecerunt mala*; Arabicus, *quia malum est proprietas fraudis, quæ testatur illi, et judicial de eo*.

Hæc omnia affines sunt illæ: « Nocens metuit penam, innocens nec casum. Nec spina bonos lædit, vel mus improbum. Mali principii malus finis. Nocens se judice nunquam absolvitur. » Moraliter, disce hic quanta sit vis conscientie, utpote que hominem beatum vel miserum faciat. Audi S. Ambrosium lib. I *Offic.*: « Non, inquit, secundum forensium abundantiam estimanda est beatitudo singulorum, sed secundum interiorum conscientiam, que innocentium et flagitiosorum merita discernit, vera atque incorrupta penarum præmiorumque arbitra; » et uberi D. Chrysostomus, hom. 2 in *epist. ad Rom.*: « Animi, inquit, tranquillitatem et lætissimam non principatus magnitudo, non pecuniarum copia, non potentia tumido, non corporis fortitudo, non mensæ sumptus, non vestitus ornatus, non aliud quicquam rerum humanarum afferre consuevit, præterquam conscientia bona, quam certo qui puram habet, ut pannus sit, ut cum fame luctetur, tamen tranquillior beatorumque est tuis, qui inter delicias degunt. » Quocirca merito exclamat auctor serm. 10 ad *fratres in Eremito*, apud S. Augu-

tinum : « O conscientia sancta, in terra adhuc es, et in oculis habitas! Gaude, o anima sancta, sancta conscientia decorata, gaude celestis et aeterna gloria. » Vis exempla? accipe. S. Augustinus, lib. ad *Secund. Morich.* cap. 1 : « Senti, ait, de Augustino quidquid libet, sola me conscientia in oculis Dei non accuset; » S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 27 : « In omnibus, inquit, rebus consiliarii loco rationem, Deique justificationes habeo, a quibus plerumque etiam hullo accusante convincor, et rursus condemnantibus nullis absolvor; » S. Bernardus, ad *Eugen.* : « Quid, inquit, in terra quietius et securius bona conscientia? damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quae et ipsa morte magis erigit quam deprimitur; » denique S. Job, cap. xvi, 20, bone conscientie testimonio in toto afflictionibus exultat : « Egoe, inquit, in calo testis meus, et consocius meus in excelis. »

SEMPER ENIM PRÆSUMIT SEVA (græce *ὑπερηβή*, id est *gravia*, molesta, seiva, difficilia, aspera, acerba, dura et dira) PERTURBATA CONSCIENTIA : — nonnulli Codices addunt, *frequentur enim præoccupant pessima relargente conscientia*; sed id delent Romana et Græca, videtur enim esse alia versio, vel certe explicatio sententiæ jam dictæ; Arabicus verit, et ille (impius) accipit semper res difficiles et perveritas. « Præsumit, » scilicet *timida nequitia*, quæ præcessit, hęc enim perturbatur et terretur a conscientia propria : nam conscientia hic est ablativi casus : græca est, *ὑπερηβή* et *ὑπερηβή* id est *contenta intra conscientiam*, vel latens in conscientia, aut conjuncta conscientia, ejus vocem et testimonium sibi jugiter oclamans nequitia et nequam effugere nequit. Alii legunt, *ὑπερηβή*, q. d. *Maliia præsumit seiva, quæ mala conscientia congruunt et conveniunt*; alii nervosius legunt *ὑπερηβή* et *ὑπερηβή*, id est *nequitia constricta*, coarctata, vel compressa a conscientia, sicut reus constringitur laqueo, dum strangulatur et suffocatur : simili enim modo conscientia nequitiam et hominem nequam coarctat, angit et strangulat : *ὑπερηβή* enim idem est quod *strangulo*, stringo, obstricta gula coereco, oborto collo in vineula duco, præfoco, ango, constringo fauces sive guttur. Hoc Noster secutus vertit, *perturbata a conscientia*, q. d. *Nequitia et homo nequam ubique pavidus, semper timet sibi imminere scelerum penas, quia constringitur pavore conscientia, quæ illum suæ nequitie arguit, et ad penam condemnat : conscientia enim velut tor tor nequitiam et hominem nequam, quasi reum mille timoribus, angoribus, meroribus, suspitionibus seu laqueis constringit, coarctat, angustat, strangulat, suffocat. Pro præsumit, græco est, *ὑπερηβή*, id est *assumit*, ad se sumit, sibi velut reo applicat, sibi representat, item adjungit et angit, ut mala ingruentia majora suspicetur esse quam revera sint. Noster videtur legisse, *ὑπερηβή*, id est *præsumit*, præoccupat, antevertit, præagit,*

præcognoscit, prævidet, anticipat animo et mente supplicium prius, quam re ipsa inferatur et ingruat : nam, ut ait Plutarchus, lib. *De Tranq. animi* « facinorosa conscientia in anima intrata est ulceris in corpore, utpote quæ penitentiam relinquit lancinantem jugiter, pervellentemque animam; » et in lib. *De Sera Num. vindict.* : « Maliia, inquit, conjunctum, assiduoque ipsam torquentem ac affligentem gestat dolorem : quem admodum enim flagitiosus quisque ultimo affligendus supplicio, corpore suo propriam fert crucem, ita improbitas ex seipsa supplicium sibi struit, » etc.

Moraliter, quam mala conscientia sit timida et pavidā, graphicè describit Job, cap. xv, 11, dicens : « Sonitus terroris semper in auribus illius, et cum pax sit, ille semper insidias suspiciatur : non credit quod reverti possit de tenebris ad lucem, circumspiciens undique gladium; » et Salomon *Proverb.* xxviii, 1 : « Fugit impius nemine persequente; » et S. Cyrillus, lib. XI in *Joan.* cap. xxii : « Magna quedam res conscientia certe simul est, qui quando perperam aliquid agimus, etiam nullo presente ingenti nos metu exagitat. » S. Ambrosius vero lib. I *Officior.* cap. xii : « Peccator, inquit, quamvis foris abunde et delictis diffuset, odoribus fragret, in amaritudine anime vitam exigit. Vita facinorosi, ut somnium, aperuit oculos, transit requies ejus, evanuit delectatio, licet ipsa, quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorum requies in inferno sit : viventes enim in inferna descendunt. Vides convivium peccatoris? interroga conscientiam ejus, nonne gravius foetet omnibus sepulcris? Intueris lætitiā ejus, opum abundantiam? introspece ulcera et vibices anime ejus, cordisque mesitudinem. » Alibi : « Nihil est, quod tam summo dolori sit, quam si unusquisque positus sub captivitate peccati, recordetur unde lapsus sit : ita gravis culpa est conscientia, ut sine judice se puniat, et velare se cupiat, et tamen apud seum nuda sit. » Elegantissime autem S. Chrysostomus hom. 4 *De Lazaro*, de divitis conscientia ita loquitur : « Explicata mihi istius conscientiam, et videbis intus gravam peccatorum tumultum, jugem metum, tempestatem, turbationem : videbis veluti incuria mentem ad thronum conscientie conscendisse regalem, et tanquam judicem quempiam sedentem, et cogitationes loco carnisum adhibentem, in equole suspendentem, lateraque conscientie radentem unguis, pro commissis vehementer inclamantem, cum nemo sciat, nisi quod solus Deus hæc videre noverit. » Rem vero exemplo illustrans, sic prosequitur : « Eleian qui committit adulterium, etiamsi milies faciat dives, etiamsi nullum habeat accusatorem, non desinit tamen intus seipsum accusare, et voluptas quidem temporaria est, dolor vero perpetuus; timor undique ac tremor, suspicio et anxietas, angulos metuit, umbras ipsas formidat, suos ip-

sus famulos conscios, inscios, illam ipsam, quam corrupti, et virum, quem affectit contumelia; obambulat amarum accusatorum circumferens conscientiam, cum sit suo ipsius judicio damnatus, nec vel ad breve tempus possit respirare. Idem patiuntur et qui rapinam exercent, et qui fraude lucrum faciunt, hoc et ebriosi, et summa quotquot in peccatis vivunt. » Porro S. Augustinus in *Psalm.* xlv : « Inter omnes, inquit, tribulationes humanæ anime nulla est major tribulatio, quam conscientia delictorum; » idem in *Psalm.* xxxvi, conc. 2 : « Quisquis, ait, malus est, male secum est, torquetur necesse est, sibi ipsi tormentum est : ipse enim est pena sua, quem torquet conscientia sua. Fugit ab inimico quo potuerit, a se quo fugiet? » Denique Seneca licet ethnicus : « Bona, inquit, conscientia prodire vult et conspici, ipsas nequitie tenebras tinet. Prima et maxima peccantium pena est, peccasse, nec ullum scelus impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est. Proprium est nocentium trepidare. » Hęc ipse, *epist.* 27.

Exempla sunt in Adam et Eva, qui post peccatum audientes vocem Dei ambulantis per paradisum, pavidi absconderunt se, *Genes.* iii : in Cain, qui occiso Abel urgente conscientia : « Omnis, inquit, qui inveniit me, occidet me, » *Genes.* iv, 14 : in fratribus Joseph, qui ab eo dure accepti, *Genes.* xlii, 21 : « Merito, inquit, hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum. » Vide Senecam in *Oreste*, ejus furias ipse graphicè depingit, et Ciceronem, *Pro Roscio Amerino*, ubi sceleratorum et scelerum furias graphicè pingit, flammam et faces describit. Ex adverso, *I Joan.* iv, 18, « charitas (quam parit probitas probaque conscientia) foras mittit timorem; » et *Proverb.* xxviii, 1 : « Fugit impius nemine persequente : justus autem quasi leo confidens absque terrore erit, » vide ibi dicta : nam, ut ait S. Gregorius, lib. XII *Moral.* cap. xxi, « nil simpliciter felicitis, quia quod innocentiæ erga alios exhibet, nihil est quod pati ab aliis formidet, habet enim quasi arcem quamdam fortitudinis, simplicitatem suam; nec suspectus est pati, quod se fecisse non meminit, unde bene per Salomonem dicitur : *In timore Domini fiducia fortitudinis*; qui et rursus ait : *Secura mens quasi iuge convivium*. Quasi enim continuo reflectionis est, ipsa tranquillitas securitatis. »

Vere S. Ambrosius in *Psalm.* xxxix : « Quis, ait, puritate pectoris dulcior fructus? Quis cibus suavior quam is, quem animus bene sibi consilii, et mens innocentiæ epulatur? » hinc illud, *Proverb.* xv, 15 : *Secura mens quasi iuge convivium*; vide ibi dicta; nihil ergo timidus peccatore, nihil audacius justo : cause sunt tres, *prima*, quod concupiscentia et passionis animi, quæ peccata creant, animum emolliant et effeminant; earumdem vero virtutia, quæ fit per virtutem, animum fortem virilemque efficiat. *Secunda*, quod conscientia

simulam mentem peccatoris jugiter lancinet, rodant, ejusque vigorem exadant; justo vero virtus ipsa, quam exercet, et peccantia prohibita animo addant. *Tertia*, quod peccator a gratia Dei deseratur, justus vero eadem pollet; gratia autem Dei est omnipotens, nam per eam omnia fieri possunt, quantumvis ardua, s. n. illa vero nil boni effici potest; unde justus est magnanimus et confidens, peccator autem pusillanimis et timidus instar musæ.

41. NIL ENIM EST TIMOR NISI (nonnulli codices hic interserunt, *presumptionis adiutorium*; Vatablus, *temeritatis adiutorium*; sed hæc delent Romana et Græca) PRODIGIO COGITATIONIS AUXILIUM. — *Tis cogitationis* in Vulgata potest referri ad *prodigio*, q. d. Timor non est aliud, quam prodigio et perditio cogitationis et mentis, quæ si libera esset a timore, excogitare posset plura auxilia, quibus rem, quam timet, depelleret; jam autem plena timore preteratur nequit. Græca tamen *is cogitationis* referat ad *quasiotium*, sic enim habent, *nil enim aliud est timor, nisi auxiliurum et cogitatione vel ratione proficiensurum prodigio*; sed eodem redit sensus : timor enim ideò prodit et perdit hęc sui auxilia et remedia, quia perdit et admittit homini cogitationem et rationem, ne possit auxilia hæc excogitare : metus enim admittit linguam mentem, motum, memoriam et ligat. Unde pavidi funt mentis inopes, immobiles, immemores, cingues, ut nec intelligere, nec movere se, nec recordari, nec loqui valeant, sed corpore et animo quasi obstupescant. Causam dat Aristoteles in *Problem.* sect. xxvii, quod in metu spiritus et calor confugiant ad roborandum cor; unde extreme partes frigent et rigent; hinc pallor in facie, tremor in manibus et labris, stupor in capite et pedibus, algor in cute, rigor in lingua.

Probat quod dixit, timidam esse nequitiam, ideoque seiva semper presumere, ex ejus rei causa, quæ est, quod timor adeo malum quod timet apprehendat et metuat, ut illi quasi victus succumbat, seseque dedat : quare de ejus auxiliis et remediis adveniendis cogitare nequit; sed eorum quasi est proditor et perditior. Est metaphora sumpta a militibus timidis in arce obsessis, qui ex timore arcem hosti obsecunt produnt et dedunt : simili enim modo timor arcem rationis et mentis, quæ varios malum, quod timetur, evadendi modos et vias excogitare posset, ita debilitat, stringit et ligat, ut eam prodit tradatque hosti, puta malo, quod timetur, ac desperationi, quo fit, ut pessima quæque sibi imminere anguratur, eaque vitata esse impossibilia sibi persuadeat. Timor enim rationi et menti subesse, ac ab ea se regi et moderari sinere debuerat, quare fidem illi debitam fallit, imo illam perdit, dum illi consilium et fiduciam admittit, illamque facit suavia, quæ fit per virtutem, animum fortem virilemque efficiat. *Secunda*, quod conscientia

quam inopia consilii, ac cogitationum defectio et deserto, quod scilicet homo per trepidationem estumque timoris ita abripiatur, ut prodatur, id est deserat a cogitacionibus mediocrum et auxiliatorum, quibus posset malum quod metuit evadere. Unde nonnulli ex Graeco vertunt, nihil est metus, nisi defectus vel desperatio excogitandi consilii: sic enim milites timidi, dum ducem deserunt, eum hosti produnt et tradunt; hinc et *prodere* Latinis subinde idem est, quod *abjicere*, deserere, dimittere, repellere: *prodere* enim idem est, quod *porro dare*, id est projicere, propellere, excludere, ait Servius; unde Virgilius, *I. Aeneid.* :

Navibus (infandum) amissis unus ob iram,
Proditur, atque Italiam longe disjungitur ora.

Proditur ergo idem est quod *disjungitur*: sic quoque hic accipi potest ex vers. 14, ubi ait: «Anime deficiente translatione,» graece, *ἄπειρος*, id est *proditio*.

Moraliter, hic dicitur quantum malum sit timor, utpote qui hominem prodatur et perdat; unde a semper in praesidio maximum est periculum, qui maxime timet,» audacia pro muro habetur, ait Sallustius, *De Conjur. Catil.* «Quodcumque additur subsidio, id corrumpitur timore fugientium,» ait Caesar, *lib. De Bello Civili.* «Plurimumque in summo periculo timor misericordiam non accipit,» ait idem *lib. VII.* «Hoc natura est magnis timoribus, ut quod evenit dederit credant,» ait Tacitus, *Annal.* *lib. XV.* «In periculis reipublicae, qui singularem pertimescunt, in timore potius quam in virtute opprimuntur,» ait Julius Capitolinus, in *Max. et Balbino.* «Timor mentem agens antequam non sint utiliora decernere,» ait Procopius, *De Bello Pers.* *lib. II.* «Montium vertices hostium speciem praebent animo semel timore oppresso,» ait G. Pachymus, *Hist.* *lib. IV.* «Timidi et ignavi ad desperationem formidare proferant,» ait Tacitus, *lib. II. Hist.* «Qui natus est ejusmodi, ut metuat omnia, etiam si minus strepitum edat, bellarum similium quodam ignavia timidus habendus est, et qui museipulam vi morbi timeat,» ait Aristoteles *lib. III. Ethic.* *cap. VII.* «Sine animi praesentia ars contra periculum nihil prodest: timor enim memoriam excutit, et ars amittitur animo languente,» ait Thucydides, *lib. II.* «Principum timiditas, maxima est causa caedum: fiducia sui, placidos eos et mansuetos, et a suspicionibus vacuos reddit. Ita ferarum quoque, quae a curatione sunt alienissimae, timidae sunt et omni strepitu terrentur: generosa autem non aspernantur huiusmodi blandam tractationem, qui propter fiduciam sui facillius aliis se committunt,» ait idem in *Artaxerxe.* «Hesitabunda et formidolosa peritia, egregium aliquid audere haudquam consuevit,» ait Procopius *De Bello Goth.* *lib. II.* «Timiditas est corrupti legitimi iudicii de rebus metuendis, aut non metuendis,

sive ignorantia terribilium et non terribilium, et neutrorum,» ait Hierocles, *lib. De Justitia.* Pavidum enim minora mala timeant, a majora non apprehendant, nec timeant, quare dum fugiunt minora, incidunt in majora. Sive peccator timens amittere opes, famam, vitam, peccat sceleraque patrat, quibus caelum et aeternam infelicitatem amittit; sapiens vero et constans timenda timeat, non timenda non timeat; timenda vero timeat modo et moderatione, quia oportet et recta ratio dicat. Aliter Lyranus, *proditio*, inquit, hic idem est, quod *ostensio* et *manifestatio*: timor enim in facie efficiens pallorem, *prodit*, id est manifestat cogitationem auxilii, quia significat quod timens auxilium desiderat, et cogitat de illo; verum hoc frigidus est: porro Syrus alio abii, *quid*, ait, est timor, nisi consummatio malitiae, et adjuvatio cogitationum, qui est interior? vicinis Arabibus, quia timor, ait, non est aliud, nisi formido tormentorum propter cogitationem. Mystice Hugo; Impius, inquit, timens non cogitat de auxilio Dei, si autem hoc cogitaret utique diceret, *Psal.* *LV.* *12.* «In Deo speravi, non timebo quod faciat mihi homo;» et *Psal.* *v.* *4.* «In Domino sperans non infirmabor.»

12. ET DUM AB INTUS MINOR EST EXPECTATIO, MAJOREM COMPUTAT INSCIENTIAM EJUS CAUSE, DE QUAE TORMENTUM PRESTAT. — De qua, scilicet nequitia, sive malitia, supplicium, quasi meritum culpe fructum et stipendium sibi producit et exhibet: *proscientiam*, alii legunt per diastolen, *in scientiam*, id est propter scientiam; alii, *conscientiam*; alii, *potentiam*: qui in scientiam legunt, hunc non ineptum dant sensum, *q. d.* Dum in timore interne minor est expectatio mali eventus secundum se, hanc tamen animus meticulosus majorem aestimat, quod novit et anxie considerat causam, de qua tormentum sibi prestat, id est torquetur, pavet, angitur, ex eaque conjectat eventus pessimos, et peiores quam eventuri sunt, eosque sibi fingit. Verum legendum est per systemen, *inscientiam*: graeco enim est, *ἄπειρος*, id est *ignorantiam*: sensus est, *q. d.* Quia timor est proditio et defectio excogitandi, contra malum quod timetur auxilii, hinc dum intus in mento timens minor est expectatio auxilii, fit ut magis apprehendatur malum quod timetur, praesertim dum ejus causa nescitur et ignoratur: ignorantia enim causae metum auget, eumque majorem efficit, timidus enim metuit, ne in causa, quam non satis perspectam habet, multi effectus pessimi et molestissimi lateant, quos ipse excepturus sit. Unde S. Chrysostomus, *homil. De Patientia Job*, docet ignorantiam causae, quae poenam affert, valde augere calamitatem: sic hoc loco Aegyptii ignorant causam tenebrarum, spectrorum, multigis animalium et sibilii serpentium, ideoque putantes in ea deteriora latere, multo graviora et duriora sibi imminere formidabant; hinc Vaticanani vertunt, *majorem computant inscientiam*

(id est ignorantiam) *proditis tormentum causae.*

Posset quoque verti in ablativo, *in potentem*, graeco autem *ignorantiam prodatis tormentum*, causam, *q. d.* Dum minor est expectatio evadendi malum quod timeatur, tunc qui timeat majorem putat ignorantiam, hoc est, majus suspicatur esse malum ignoratum, quod futurum sibi obventurum metuit, dum ipsum cruciatus causa: ideo enim magis timeat malum imminens ignoratum, quia tam in se habet causam cruciatus, quam plurimum malorum a se ignoratorum, pari modo causam fore metuit et augurat: animus enim meticulosus nil nisi tristitia, quae metum augeat, suspicari potest. Quocirca Aegyptii in densissimis tenebris positi, et horridis spectris ac ignibus infermicanibus percussis, nil nisi funestum, ominosum, minax et horrendum cogitare poterant; unde Josephus addit: «Illo, inquit, metu imminente, ne forte penitus ab ea caligine absorberetur:» forte etiam antiquum chaos, et mundi confusionem et dissolutionem quandam formidabant, quasi mundus esset periturus, et in primum chaos suum rediturus: sciebant enim Deum sibi esse infensissimum, ac proinde ab eo omnia irarum et dirarum fulmina pavidi expectabant. Perperam Vatablus pro *ἄπειρος*, legit *ἄπειρος*, ab *ἄπειρος*, quod significat donis incorruptum, qui a justo demoveri nulla ratione potest, adeoque implacabilem; unde vertit, cum intus residens caeca spes magis reputat causae cruciatus, moventis implacabilitatem, vel potentiorum imaginatur implacabilitatem; nam omnes codices legunt *ἄπειρος*, non *ἄπειρος*; neque *ἄπειρος* Graecis significat implacabilitatem, sed puritatem et sanctimoniam.

MINOR EST EXPECTATIO — auxiliorum, ita passim interpretet, licet Nannius, Clarus et Jansenius minorem accipiant expectationem futuri mali: nam, inquit, pro minor, graeco est *ἄπειρος*, id est inferior, victa et oppressa est expectatio, sive spes in timidis et pavidis per desperationem: graeco est elegans paronomasia: Timor, inquit, est *ἄπειρος*, id est proditio auxiliorum, ideoque in eo minor est *ἄπειρος*, id est expectatio et spes evadendi.

CAUSE DE QUAE TORMENTUM PRESTAT. — quae scilicet timido tormentum prebet, ut habent Graeci, sive ob quam timidus se torquet et cruciatur: causa impii timidus tormentum praestans est triplex, prima est propria culpa, puta scelorum multitudo, gravitas et magnitudo, quam impius non satis perspicit, sed majorem, quam ipse sciat, esse metuit: ad haec majus tormentum est pati ob culpam, quam pati ob justitiam et innocentiam: ob hanc enim pati et occidi est deus et gloria martiris. Secunda est quae impiam castigat et punit, sicut Aegyptios hic cruciabant tenebrae et spectra, quarum vim, numerum et quantitatem ipsi perspicere non poterant. Tertia est Dei ira et vindicta, quae multo minus ab impiis perspicitur: quocirca semper metuunt, ne illa irrogato sup-

plio non contenta, alia et alia graviora infligat. Porro Syrus hic alio prorsus abii: sic enim vertit, et quod minus est eo (timore) abscondit, et ipse est praestantior eo quod ignotum est, quae verba obscura sunt et Oeipodio indigent.

13 et 14. ILLI AUTEM QUI IMPOTENTEM (perperam v. nonnulli per diastolen legunt, *in potentem*, graeco enim est *ἄπειρος*, id est impotentem: vide Franciscum Lucam hic varias vitiatasque lectiones recensentem) VERE NOCTEM, ET AB INFIMIS, ET AB ALTISIMIS INFERIS SUPERVENIENTEM, EUNDEM SONNUM DORMIENTES, ALIQUANDO MONSTRORUM EXAGITANTUR TIMORE, ALIQUANDO ANIME DEFICIENTI TRANSDITIONE: SUBITANUS ENIM ILLIS ET INSUPERATUS TIMOR SUPERVENIENS; — graeco, *illi autem impotentem vere noctem, ac ex impotentis Orci speluncis advententem, eodem somno dormientes, tum monstris phantasmatum agitabantur, tum monstris phantasmatum deficiente: subitus enim nec expectatus timor eis supervenerat. Vocat noctem impotentem triduanam et densissimas tenebras Aegypti, quae fuerunt ut Aegyptiis continua et tridua esset nox; sed cur impotens vocatur? Primo Jansenius: Impotens, inquit, passivus, id est tolerari non potens, intolerabilis: impotens ergo, supple, toleratus. Secundo, nox impotens active dicitur, quae superari et illuminari non potest, puta ineluctabilis; aut rursus passivae nox impotens, id est invalida et devicta, quae scilicet tenebras per radios solis vincere et dispellere non poterat, sed ab his plane vincebatur. Tertio, nox impotens, id est debilis et infirma, dicitur metonymice ab effectu, inquit a Castro, quod Aegyptios impotentes et invalidos redderet ad quodvis opus humanum, vel tenebrarum caligine impeditis, vel metu debilitatos instar eorum, qui somno compediti nihil operantur, nam propterea dixit Aegyptios per totam illam noctem eundem somnum dormire: eadem ratione Orcum seu infernum vocat impotentem, quod suos hospites reddat impotentes et imbecilles ad quodvis opus. Quarto, et nervosius, nox dicitur impotens, id est nimis potens, nimia, immoderata, quae scilicet sua vi toti Aegypto densissimam et insuperabilem caliginem inducebat, quae Aegyptios potentissime et validissime per tenebras, larvas, spectra, flammam, sitim, pavorem et angorem cruciabat, namquam eis dabat requiem vel somnum, uti faciunt aliae noctes. Denique quinto, dicitur impotens nox, ait Cantacruzenus, quia quasi exorta videbatur ex profundissimis speluncis inferni impotentis, qui non potest ultra modum imponere malis, quibus affert eos, quos in se continet, nec cruciamenta moderari ac temperare, sed exco quodam impetu omnes exorciat: itaque merito nox illa impotens filia Orci impotentis putabatur: Orcus enim vocatur obscuritas inferorum, ac infernus ipse, ejusque praeses Lucifer, qui nullus miseratur, juxta illud Horatii, *lib. III. Carm.*:*

Vicina nil miseratae Orci.

Impotens enim idem est quod nimis potens, ait Donatus: sic vocatur impotens dominatus, vel tyrannus, id est nimis potens et imperiosus; unde Quintilianus: «Decemviri, inquit, quorum principatus erat immoderatus, a Livio impotentes domini nuncupantur;» et Cicero, *Philipp.* V: «Advocabat, inquit, ad urbem a Brundisio homo impotentissimus, ardens odio, animo hostili in omnes cives cum exercitu Antonius;» et rursus, «impotens, iracundus, contumeliosus, superbus.» Sic vocatur amor, animus, lætitia impotens, at motus animi impotentes, id est prævalidi, quos homo frenare nequit, sed potius ipsi potentes homini dominantur, ac ad id quod appetunt prosequendum, velut equum stimulis ardentem adiungunt, coguntque. Quare nimis frigide nonnulli noctem impotentem interpretantur inane: quia inquit non erant vere tenebræ, cum toto reliquo orbe esset dies, et Hebræis esset clara lux; verum Ægyptiis a Deo obsecratis videbantur esse tenebræ: hoc enim falsum est, erant enim vere et menæ summaque tenebræ, uti ostendi *Æcod.* x, 21 et 22.

ET AB INFIMIS, ET AB ALTISSIMIS (id est profundissimis) INFERIS SUPERVIENTEM, — græce, et ex impotentis *Orei spectantis adventem*, q. d. Nox hæc et caligo erat summa et quasi infernalis. Nota, Scriptura sicut lucem nostram tribuit cælo, sic tenebras inferno, tum quia infernus est regio et matrix tenebrarum, sicut cælum lucis, perinde ac dicitur regio ferax auri, argenti, etc.; tum quia a demonibus inferni presidiis hæc Ægypti tenebræ, per densationem aeris et vaporum ex imo terræ eductorum, producebantur. Potissima tamen tenebrarum causa fuit Deus, subtrahens concursum suum soli et luci, ne lumen spargeret in Ægyptios. Simili phrasi dicitur *Etnam*, Vesivium, Hædam, aliosque montes flammivomos, esse os, ostium, fenestras inferni: sic Virgilius infernum pingit, *VI Æneid.* dicens:

Umbrarum hic locus est, somni, noctisque sepora.

EUNDEN SONNUN DORMIENTES, ALIQUANDO MONSTRORUM EXAGITABANTUR TIMORE, ALIQUANDO ANIME DEFICIENTER TRADUCIONE: SUBITANEUS ENIM ILLIS ET INSUPERATUS TIMOR SUPERVENERAT. — Eundem somnum dormientes, etc., quia licet Ægypti in tenebris pavidi essent vigiles, tamen quasi dormientes, attoniti a sopiti ab omni operatione vacabant, et variis somniis, monstris, græce phantasmatibus, visis et spectris conturbabantur; hic ergo erat idem quasi somnus insomnis omnium: rursus idem, id est similis nocti impotenti, erat somnus impotens omnium. *Insuperatus*, id est inexpectatus, inopinatus, improvisus, *timor supervenerat* et irruperat in Ægyptios. *Deficienter*, græce *παρδύρα*, id est dissolubantur, et fiebant quasi paralytici, animo magis quam corpore: nam a *παρδύρα* dicitur *paralysis*, id est dissolutio nervorum, membrorum et visum, que habet cere

liquefacta liquantur et diffiunt. *Traducione animæ*, græce est *πρόδοσις*, id est *proditio*, uti paulo ante vers. 11 verit Noster, hoc es. defectus, derelictio, desperatione, q. d. Ægypti ex pavore quasi deficiente animo, et patiebantur deliquium mentis: minus recte nonnulli per *traducionem* accipiunt separationem animæ a corpore, puta mortem, et alii punitionem.

15. DEINDE SI QUISQUAM EX ILLIS DECIDISSET, CUSTODIEBANTUR IN CARCERE SINE FERRO RECLUSI, — q. d. In tantis tenebris, si quis Ægyptius casu aliquo in foveam vel terram collapsus fuisset, præ pavore et stupore surgere, aut erigere se non volebat nec valebat, sed hærebat in ea quasi conclusus in carcere, idque sine ferro, id est sine catenis et vineulis ferreis, timor enim instar catenæ eos colligabat et vinciebat: Græce est, *ἡ ἀσπίς ἀπὸ τοῦ φόβου*, id est *in infernatum (ferro carentem) carcere inclusus*: ita Lyranus, Orosius et alii passim. Hunc sensum exigit, quod habet *Vulgata* conditionate: «Si quisquam ex illis decidisset, pro quo Græca habent, si *quatenus illic erat colubens*, vel *decidens*, scilicet in illas tenebrarum, spectrorum et terrorum angustias, hic in his quasi in carcere inclusus continebatur, ut se his expellere aut loco movere non posset, sed in his in mobilis consisteret, unde sequitur:

16. SI ENIM RUSTICUS QUIS ERAT, AUT PASTOR, AUT AGRÆ (græce *in deserto*, id est loco solitario, qualis est ager, pratium, sylva) LABORUM OPERARIUM PRÆOCCUPATUS ESSET (tenebris), INEFFUGIBILEM (id est inevitabilem, quam nemo fugere, nullominus fugare posset: unde Hugo legit *ineffugibilem*) SUSTINEBAT NECESSITATEM — tenebras has tam horribiles tolerandi, ob easque in agro manendi, otlandi, non laborandi, formidandi: nemo enim se movere loco, aut domum redire audebat vel poterat, ut ipse in densissimis tenebris constitutus, et quasi incarcerationis.

17 et 18. UNA ENIM CATENA TENEBRARUM OMNES ERANT COLLIGATI. SIVE SPIRITUS SIBILANS, AUT INTER SPISSOS ARBORUM RAMOS AVIUM SONUS SUAVIS, AUT VIS AQVE DECURRENTIS NIMIAM, AUT SONUS VALIDUS PRÆCIPITATARUM PETRARUM, AUT LUDENTIUM ANIMALIUM CURSUS INVISUS, AUT MUGIENTIUM VALIDA BESTIARUM VOX, AUT RESONANS DE ALTISSIMIS MONTIBUS ECHO, DEFICIENTES FACIEBANT ILLOS PRÆ TIMORE. — Græce, siquidem omnes una tenebrarum catena constricti erant. *Sive flatus sibilans*, sive dens inter ramos avium sonus suavis ac numerosus, aut murmur aque eantis vis, aut sonus validus præcipitatarum saxorum, aut salientium animalium cursus non expectabilis, aut ululantium immanissimarum ferarum vox, sive echo montium cavernis repercussa, metu illos exanimabat. Explicat necessitatem jam dictam, eamque vocat *catenam tenebrarum*, quia earum horrore, pavore et angore ita percelluntur Ægyptii, ut velut attoniti fierent, stupidi et immobiles, perinde ac si catenis in carcere fuissent colligati: causa a priori erat, quod timor

causet frigus; imo, ut ait Aristoteles *II Rhetor.* xiii: «Timor frigiditas quadam est; frigus autem hominem stringit et quasi ligat, ut se loco movere nequeat. Unde Plautus in *Amphitruo* :

Timeo, inquit, totus torpeo:
Nunc ubi terrarum sim nescio,
Non miser me commovere possum præ formidina.

Et in *Truculento*:

Neque vivos, neque mortuos sum, neque quid furem
faciam scio,
Neque ut hinc abeam, neque ut ad hunc adem scio,
timore torpeo.

Mystice, catena scelerum contextitur ex septem vitis capitalibus quasi ex septem annulis, quorum unus trahit alium, illique innectitur: gula enim trahit luxuriam, luxuria iram, ira invidiam, invidia superbiam, superbia avaritiam, avaritia accediam: ita Hugo. Aut, ut S. Bonaventura: Suggestio diaboli parit cogitationis delectationem, delectatio consensum, consensus operis perpetrationem, hæc iterationem et pravam consuetudinem, consuetudo invecundam de peccato gloriationem et jactantiam. *Catena* enim dicitur, quod se capiendū teneat, quia in ea annulus annulum capit et tenet.

SEBRITUS SIBILANS, — puta ventus vel aura tenuiter perstrepsans, aut halitus et stridor animalis respirantis: refer hæc omnia ad finem, vers. 18: «Deficientes faciebant eos ex timore:» pavidi enim in tenebris omnia tuta timent, sique quasi animo deficient et exanimantur. Audi Senecam *epist.* 13: «Nos et venturo torquemur et præterito, nulla bona nostra nobis nocent, timoris tormentum membra reducit, providentia anticipat: nemo tantum presentibus miser est, etc. Plura sunt que nos terrent, que premunt, et sæpius opinione amplius laboramus. Cito accedimus opinioni, et sic vertimus terga, quemadmodum illi, quos pulvis motus fuga pecorum exiit castris, aut quos aliqua fabula sine auctore sparsa conterruit: nescio quomodo vana perturbant. Vera enim modum suum habent. Verisimile est aliquid futurum mali, nonstatim verum est: quam multa inexpectata venerunt! quam multa expectata nunquam comparuerunt!»

AVIUM SONUS SUAVIS, — id est concentus avium, præsertim philomelarum et merularum, que suavissime canunt initio veris, puta sub Pascha, quando Hebræi egressi sunt ex Ægypto, ac paulo ante hæc plaga tenebrarum conligit: illa enim et cæteris coactus fuit Pharaon et Ægyptii Hebræos missos facere: pavidi enim et tristibus omnia in jucunda, omnesque melodia videntur meste et funeste.

MUGIENTIUM VALIDA BESTIARUM VOX. — Pro mugientium, græce est *βρυχέων*, id est *ululantium*, quod proprie est luporum, sicut mugire boum, hinnire

equorum, barrire elephanorum, grunnire porcorum, rugire leonum; que omnia hic per *mugientium* synecdochie intelligit (unde Vatablus vertit *rugientium*), puta quaslibet quorumlibet animalium voces et fremitus: omnia enim animalia ad hæc tantas, tamque diuturnas tenebras percelluntur, quia his impediuntur a quaerenda præda et esca, unde præ fame et siti horrendo mugiebant, et latrante ventre rugiebant: quare tot tantisque rugitibus paventes Ægyptii pene exanimabantur. Qui enim timet, porcellitur, itaque trepidat, horrescit, pallidat, fugit animus, metu membra qualuntur: que res efficit, ut quam hic a metu vincitur, tam illic a fiducia deseratur, nec solum viribus defectus, verum etiam spe desitutus, siquidem cuncta nimium formidantem, necesse est spe quoque destitui: habet enim metus animi fractionem, et quasi fugam, itaque meticulosos non res solum atque pericula, verum rumores etiam ipsi incerti et vani, et rosæ, ut dicitur, umbra persepe terret.

RESONANS DE ALTISSIMIS MONTIBUS ECHO. — *Allisimis*, id est profundissimis: græce enim est *ἄλλιστος*, id est *ex concavitate montium*: echo enim fit cum vox cavernis repercussa in se redit, sibi que quasi respondens fit, quod dixit, refert et repetit, ita ut rudibus et rei ignaris videatur esse in cavernis absconditus vir resonans, et vocem repetens: quare ipsi mirantur et percelluntur. Echo ergo fit dum aer, indoque sonus in læve concavumque corpus illius, velut pila repercussus resilit: ob hanc enim repercussionem fit sonus resonans, sive *resonans*, ut apte verit Noster: resiliens enim aer voces reciprocas, id est primæ similes, reddit; unde Evodius, *lib. IV Epigr.*, echo vocat *imitatricem sermonis, vocis faciem, verbi caudam*. Echo vox græca est, *ἠχώ*, id est *sonus*, elango, resonantia, ab *ἠχέω*, id est *sono*, resono, clangi; unde Ovidius *lib. III Metam.* echo poetice velut nympham describens, hoc ejus dat ænigma, que simul insinuat per eam cervos timore percellit, et in retia a venatoribus adigit: sic enim canit:

Aspicit hunc trepidos agitantem in retia cervos
Vocalis Nympha, que nec reticere loquenti,
Nec prior ipsa loqui didicit resonabilis Echo.

Ansonus vero, Theodosii imperatoris familiaris, Echo hoc dat ænigma:

Aeris et lingua sum filia, mater inanis
Inliciti, vocem, que sine mente gero:
Extremos percenno modos a fine reducos,
Ludificata sequor verba aliena meis
Auribus; in vestris habito penetralibus Echo,
At si vis similem pingere, pinge sonus.

Rudes ergo et impii male sibi conscii timent echo, quasi vocem secretam in cavernis ab angelo, aut sententiam a numine missam ad scelus

castigandum : nam ut ait Statius III *Thebaid.* :

Invigilant animo, scelerisque patenti
Supplicium exerceat cura, tunc pluvina versat
Pessimus in dubis arbor liquor.

19 et 20. OMNIS ENIM ORBIS TERRARUM LIMPIDO ILLUMINABATUR LUMINE, ET NON IMPEDITIS OPERIBUS CONTINEBATUR. SOLIS AUTEM ILLIS SUPERPOSITA ERAT GRAVIS NOX, IMAGO TENEBRARUM. QUE SUPERVENTURA ILLIS ERAT. IPSI ERGO SIBI ERANT GRAVIORES TENEBRIS, — q. d. Totus reliquus orbis claro solis resplendebat lumine, cum in sola *Ægypto* densissima essent tenebræ, imo in ipsa *Ægypto* apud Hebræos splendida erat lux, ut dicit *cap. xviii*, 1. Sic et plaga septima, quæ fuit grandinis, et quinta, quæ fuit pestis, de cæteris omnes solos tetigere *Ægyptios*, nullos autem Hebræos, ut patet *Exod. ix*, 4 et 26: idem testatur Philo et Iosephus. Pro *limpido* græce est, *καθαρόν*, id est *splendido*, nitido, fulgido. Ex diebus liquet non recte Jansenium ex *omni orbis* colligere, etiam totam *Ægyptum* luce solis fuisse illustratam, sed eam non vidisse *Ægyptios*, eo quod oculi eorum essent obereati : nam a toto orbe nox excipit *Ægyptios*, dicens : « Solis autem illis superposita erat gravis nox. » Adde, hæc tenebræ fuere palpabiles, ut dicitur *Exod. x*, 21; non ergo consistebant in oculis *Ægyptiorum*, nec in sola subtractione concursus Dei, qua luci subtraheret suam cooperationem ad illuminandum *Ægyptios*, sed inasper erant crassa caligo, vapor et nebula a Deo inducta, ut dixi *Exod. x*, 22.

ET NON IMPEDITIS OPERIBUS CONTINEBATUR, — id est distinebatur, occupabatur, q. d. Incole totius orbis in luce degebant, seque in suis officiis et operibus late continebant et occupabant : nil enim erat, quod opera eorum impediret, cum tenebræ impedirent *Ægyptios*, ne quid operari possent; unde Vatablus verit, et *expositis frequentis erat operibus*, q. d. Reliqui omnes erant in luce, ideoque negotiosi; soli *Ægyptii* erant in tenebris, ideoque otiosi.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ferit componere, opponere et præponere Hebræos Dei cultores *Ægyptii* idololatris, primo, vers. 1, quod in densis *Ægyptiorum* tenebris Hebræis lux esset clarissima. Secundo, vers. 3, quod Hebræi ducem viam a Deo acceperint columnam nubis per diem et ignis per noctem; *Ægyptii* vero sine duce meri sint in Mari Rubro. Tertio, vers. 6, quod cæcis ab angelo *Ægyptiorum* principum, Hebræi nil passi sint. Quarto, vers. 20, quod cum ob supplicationem Coræ Deus immississet iram in populum, per iustificationem et deprecationem Aaronis placari se permisisset, plagamque stiterit, cum *Ægyptiis* fuerit implacabilis, eosque variis plagis per Moysen attriverit, et tandem Pharaonem cum omnibus associis in mari suffocavit.

1. Sanctis autem tuis maxima erat lux, et horum quidem vocem audiebant, sed flamam non videbant. Et quia non et ipsi eadem passi erant, magnificabant te : 2. et qui ante

læsi erant, quia non lædebantur, gratias agebant : et ut esset differentia, donum petebant. 3. Propter quod ignis ardentem columnam ducem haberunt ignota via, et solem sine læsura boni hospitii præstitisti. 4. Digni quidem illi carere luce, et pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen sæculo dari. 5. Cum cogitarent iustorum occidere infantes : et uno exposito filio, et liberato, in traditionem illorum, multitudinem filiorum abstulisti, et pariter illos perdidisti in aqua valida. 6. Illa enim nox autem cognita est a patribus nostris, ut vere scientes quibus juramentis crediderunt, animæquiores essent. 7. Suscepta est autem a populo tuo sanitas quidem iustorum, injustorum autem exterminatio. 8. Sicut enim læsisti adversarios : sic et nos provocans magnificasti. 9. Absconse enim sacrificabant iusti pueri honorum, et iustitiæ legem in concordia disposuerunt : similiter et bona et mala recepturos justos, patrum jam decantantes laudes. 10. Resonabat autem inconueniens inimicorum vox, et flebilis audiebatur pluctus ploratorum infantium. 11. Simili autem pena servus cum domino afflictus est, et popularis homo regi similia passus. 12. Similiter ergo omnes uno nomine mortis, mortuos habebat innumerabiles. Nec enim ad splendidi vivi sufficiebant : quoniam uno momento, quæ erat præclarior natio illorum, exterminata est. 13. De omnibus enim non credentes propter veneficia, tunc vero primum cum fuit exterminium primogenitorum, sponderunt populum Dei esse. 14. Cum enim quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, 15. omnipotens sermo tuus de celo a regalibus sedibus, durus debellator in medium exterminii terram proslivit, 16. gladius acutus insinulatim imperium tuum portans, et stans replevit omnia morte, et usque ad celum attingebat stans in terra. 17. Tunc continuo visus somniorum malorum turbaverunt illos, et timores supervenerunt insperati. 18. Et alius alibi projectus semivivus, properat quam moriebatur, causam demonstrabat mortis. 19. Visiones enim, quæ illos turbaverunt, hæc præmonebant, ne inscii, quare mala patiebantur, perirent. 20. Tetigit autem tunc et justos tentatio mortis, et commotio in eremo facta est multitudinis : sed non diu permansit ira tua. 21. Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum, orationem et per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, et finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus. 22. Vicit autem turbas, non in virtute corporis nec armaturæ potentia, sed verbo illum, qui se vexabat, subiecit, juramenta parentum, et testamentum commemorans. 23. Cum enim jam acervatim cecidissent super alterutrum mortui, interstitit, et amputavit impetum, et divisit illam, quæ ad vivos ducebat, viam. 24. In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum : et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta, et magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat. 25. His autem cessit qui exterminabat, et hæc extimuit : erat enim sola tentatio iræ sufficiens.

4. SANCTIS AUTEM TUIS MAXIMA ERAT LUX, ET HORUM QUIDEM VOCEM AUDIEBANT, SED FIGURAM NON VIDEBANT : ET QUIA NON ET IPSI EADEM PASSI ERANT, MAGNIFICABANT TE. — Sanctos vocat Hebræos, quia fideles ad sanctum sancti Dei cultum, ipsamque ancillationem a Deo vocati erant, eique quasi ad dei et consecrati, juxta illud *Psal.* ciii, 2 : « Facta est lux in sanctificatione ejus, israel potestas ejus. » Maxima erat lux, non quod major naturalis foret et miraculosa, sed maxima, comparatione *Ægyptiorum*, qui in densis erant tenebris, quodque Deus, dissipatis omnibus nebulis et nubibus, clarissimos solis radios Hebræis exhibue-

rit. Adde, Hebræis ob disparitatem hanc exsultantibus lucem hanc fuisse maximam, sicut curi hinc per Esther, cap. vii, vers. 16, a morte liberati sunt, ipsis « nova lux oriri visa est, gaudium, honor, et tripudium : » vide dicta *Exod. x*, 23. Fuere ergo Hebræi tui cultores filii lucis, *Ægyptii* vero idololatras filii tenebrarum.

ET HORUM QUIDEM VOCEM AUDIEBANT : — addunt nonnulli *imities*, sed id delent Romani et Græci : verisimile enim est ex commento nonnullorum in textum irrepisisse, multi enim hæc referunt ad *Ægyptios*, q. d. *Horum*, scilicet Hebræorum in luce exsultantium, vocem jubilationis audiebant eo-